21

XXI

DE LATINIS
Numerorum notis,
AD DOMINICVM
MAVROCENVM, EQVITEM
ac Senatorem Præſtantiſſimum,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRTVTE DVCE



COMITE FORTVNA.

Venetiis, M D L V I I.

F. Thomæ Toſarelli Vtinci Theologi
Dominicani Epigramma.

Cur ſi contingunt alijs fallacia nocte
SIXTE, Vni occurrunt ſomnia uera tibi?
Quis putet hoc? niſi qui exutum te cõpede nouit
Corporis, erectam ſemper habere animam?
Quid faciat uigilans qui talia ſomniat? & qui
Intentus ſtudijs dum quoque dormit adeſt?
Felix, ô nimium felix pater alme, Latini
Nominis egregium ſidus, & orbis honos.
Ecce omnes tota legimus tua Somnia mente,
Doctorum excubijs anteferenda uirûm.
Et merito. Quis enim quicquam iucundius orbi,
Edere uel grauius nunc queat, aut melius?

DOMINICO

MAVROCENO, EQVITI

ac Senatori Clariſſimo,

F. SIXTVS Medices Dominicanus, S. P. D.

QVVM ipſe mecum, Dominice optime, tacita cogitatione conſidero, atque collectis animi uiribus efferor ſtudio inueſtigandi, quibus'nam ex reconditis atque abditis fontibus limpidiſſima ſomnia (ſic enim appellarim quæque per ſomnum opere noſtro uiſa) nonnunquam nobis inter dormiendum hauriantur; mihi tum uideor difficili in loco uerſari; nec ſatis commodè occurrit animo, quas ea præcipue ad cauſſas referri debeant. Multo autem mihi maior obijcitur difficultas, dum maiori affectu contemplor, cuius'nam authoris beneficio ex profundo atræ noctis pelago talia profectò emergant, ut fixo in eis intuitu, rationes rerum non minus abſtruſa qualitate perdifficiles, quàm altitudine ſu-

blimis ac ſyncerǽ ueritatis admirabiles, à pleriſque lucidè uelut in ſpeculo ac diſtinctè conſpiciantur. Iam illud perſpicuum fuerit, hoc in loco, me ea recenſenda non ducere quǽ aut futura prǽnuncient, aut ſupernis è ſedibus, ſolutisque à corpore mentibus deſcendunt oracula; ſed ea modo quǽ ſenſus intellectus'ue noſtri ſemine, uel ſponte ſua propagantur, ſiue (ut ſemel dicam) quǽ hominum generi natura rerum tribuit ſuis uiribus conquirenda. Cui enim id non mirum cenſeri poterit, ſi quǽ aſsidua ac diligenti lucubratione alijsque eruditisſimorum hominum artibus uigilantes attingere nequimus, illa eadem profundo ſomno propemodum ſepulti cumulatisſime aſſequamur? Illud etiam mirabilius exiſtimari debet, quod tamen pleriſque haud abiecti pectoris hominibus non raro contingit; ut ea dormientes intueantur, que nunquam antea uigilantes tentauerant: de quibus nunquam antea cogitarant. Tam diues & ferax eſt hæc animi ſoboles; ut uel per quietem nobiſcũ benigne liberaliterque uerſetur.

Dum igitur animum conuerto ad hęc ipſa ſomniorum genera, & pariter iucundisſima recordatione ante oculos mentis conſtituo quǽ mihi proximè decurſa nocte, immò ſub diluculum, ſed uel meridiana luce clariora per ſoporem cõtigerunt; in eam denique lubens & uolens deuenio ſententiam, ut uiſiones conſpicuas, quǽ nullis ab exte-

ra mente adminiculis, ſed uel naturā, uel (ut aiunt) marte noſtro nobis eueniunt, tribus quaſi è fontibus manare planè mihi perſuadeam. Atq; hanc meam opinionem, fortaſſe etiam Peripateticis, Academicis quidem ſine dubio placituram eſſe confido. Primum quidem aſſentior, eas (ut ab Ariſtotele Philoſophorum omnium clariſſimo edocti ſumus) ob ſimulacra nobis adnaſci, quæ poſt multiformes ſenſuum functiones imo in corde reſidere, animoque obuerſari ſecundum quietem ſolent. Sæpe enim fit ut cogitationes ſermonesque noſtri pariant aliquid in ſomno, de quo ſæpisſimè uigilantes ſolebamus cogitare atque loqui, ut apud Ciceronem Carthaginienſis ille Scipio commemorabat.

Secundo loco, illius ſomniorum generis rationem habendam eſſe duxerim, quæ amplisſima fide eò ſunt recepta, quòd exquiſitis rationibus communita; quippè ut referātur quæ uidere uidemur dum dormimus, ad atræ bilis, uel phlegmatis, aliorum'ue corporis humorum concitatam ultroque inualeſcentem copiam; è quibus non ſecus atque de metallis aurifices ex lydio lapide, de affectis ægritudine corporibus coniecturā, eamque certam faciunt Medicorum peritisſimi.

Poſtremo autem (quod à præſenti inſtituto forte non erit alienum) ex alia altioriqúe radice illuſtria præſtantium uirorum uiſa pullulare & conſurgere, tanquam florentes & refertos fructibus

ramos intelligo; atque ex eo potisſimum, Quòd mens humana frequenti rerum ſublimium contemplatione fœcundior effecta, interdū per quietem dum ab officijs corporis paululum libera eſt, nonnulla egregia contemplando parit, quæ uel homo uigilans, diligentisſimoque adhibito ſtudio non concepiſſet. Cui enim non explorata fuerit humanæ mentis nunquam perituræ uiuacitas, quæ ſoleat noua ſemper cudere, atque collecta in ſeipſam, uel in ipſo ſomni ocio neſciat uacare negocio? Nec uerò uideo, quo nam pacto per ſemitas inter admodum depreſſa phantaſmatum ſomnia, & inſigniter ſupra nos elucentia quæ ſolo numinis afflatu comparantur, media ſit incedendum uia, niſi forte animos generoſo uirtutum ſemine refertos, multo cum fœnore nobiliorē hunc partum eniti ac edere poſſe dicamus. Et enim cui à ratione alienum eſſe uideatur, ſi quemadmodum altrix animalium facultas, dum reliquæ uires quieſcunt tum optime uigeat; ſic mentis aciem in homine permultum roboris acquirere tum maxime putemus, quum minime à ſenſibus obturbatur, nec à ſuo munere per ſenſus auocatur?

Verè igitur hoc mihi uideor eſſe ex hac diſputatione collecturus, ut tametſi recondita ſpectra, atque immodica humorum ubertas pariant uiſiones; ex contemplationis tamen uſu, qualia dicta ſunt efflore ſcere, ac redundare oporteat; ut ij ſint fructus mentis, qui cum generoſa ſtirpe conſentiant.

ant. Porrò inde ortum exiſtimo, ut probè inſtitutorum hominum ſomnia, nimirum quòd non diſtorta, non obſcœna, non inerudita, ſed euidentia, pudica, grata, & ſeria nonnunquam, uel utique uero ſimilia, & ob id ceteris meliora, eximijs laudibus à Philoſopho in Ethicorum libris efferantur. Talia certè tibi purgatisſimæ mentis uiro ſæpius contigiſſe non ambigo, qualia ſummos homines, ac ſummis ingeniis præditos dilucidè intuitos eſſe, multa auditu, plura ſcriptorum memoria collegi. Mihi quidem (ſi parua magnis conferre permittas) non modo ſenio prægrauante, ſed etiam florente iuuenta claritas uidendi non maxime defuit, ſublimitas tamen uiſorum certè defuit. Senioribus autem id uſu euenire, nempè ut admiranda crebro ſecundum quietem perſpiciant, minus admiror, ſiquidem eorum animus ereptus ferè ab imbecilli corporis compagibus liberius atria excelſa, καὶ τὰ θεῖα perluſtrare ualet, quæ tamen ipſi antea dum robuſtiorem degerent ætatem uix à limine ſalutare, aut ne leuiter quidem attingere potuiſſent.

Age uerò illud cum primis ſomniorum coniectoribus haud uulgari animaduerſione expendendum, ſanè ut ea conſonanti proportione perinde atque eiuſdem æmula muſæ, ſomniantis hominis ordini, ſtudiis, conſuetudini, uitæque inſtituto, eodem tenore, uice mutua reſpondentia comperiantur. Proinde apud Homerum Agamemno-

nis ſomnium (quod ſuadente Neſtore, de ſtatu publico ſomnianti Regi credēdum) ſumma cum fide, legitur, ſuſceptum fuiſſe.

His igitur (ut ad rem literariam tranſire liceat, quandoquidem & Muſis erumpunt ſomnia ſua) ſimillimum profectò mihi contigit, quod ſuper Numerorum Notis tecum diſſerere uidebar quietis tempore, tametſi aliàs nunquam (ingenuè fateor) nec ſenſibus id hauſeram, nec ſimile quicquam animo conceperam. Idipſum autem, Vir eximie, quando te percontante ſum uiſus depromere, iure optimo per hanc epiſtolam, & ſi minus diſertam, uniuerſam rei ſeriem, quaſi humanitati tuæ quicquid eſt acceptum referens, eidem ſignificare; pariter ac dedicare ex animo certè conſtitui. Ad rem itaque uenio, quam proximo, ut potero, ordine comprehendam.

Conueneras igitur me, Vir doctiſsime (ut ſomnium ferebat) ad Muſæũ noſtrum, atque unà tecum literarum deliciæ Bernardus Naugerius, Franciſcus Baduarius; Dominicus Venerius, & alii nonnulli eruditi uiri. Ex ipſo autem Muſæo charactêres in pariete è regione poſito intuebamur, hoc modo deſcriptos,

M D L V.

quibus abſoluti tempus conſurgentis ædificii declaratur. In eos dum tu ceteris attentius deſigens oculos, exquireres à me, qua ratione Notæ eiuſmodi potius quàm aliæ, ad Mille quingenta quinquaginta quinque deſcribenda uſu fuiſſent receptæ? Ipſe nouo quodam mentis lumine illuſtratus ac percitus, DE LATINIS NVMERORVM NOTIS, ab uno ad Mille compendiò diſſerebam in hunc qui ſequitur modum.

I, Vnum ſignificat, quia una linea, & ita II, duo, & III, tria, & IIII, quatuor.

V, Quinque, quòd primo linearum concurſu emanet, quæ & quinta eſt inter uocales literas Latinas.

X, Decem, quia duo V, continet, quorum unum rectum, alterum inuerſum; quod ideò

alteri iunctum eſt, quò facilius atque elegantius deſcribatur. Et quemadmodum ſi ad ipſum V, addatur una I, uel duæ II; & ultra, numerum auxerit uſque ad Nouem, ita ſi ad X, addantur lineæ ipſæ, uel V, uel X, creſcent ſupra Denarium numerum unitates, aut denarii uſque ad Quadraginta octo, XXXXVIII:

IX, Nouem, quoniam à Decem unum per præcedentem lineam dimouetur, ſicut ſi poſtponatur ei linea, ſic, XI, Vndecim ſignificabit. Id autem, ſcilicet Nouem, celerius deſignatur per I, & X, quàm per Nouem IIIIIIIII, aut per V, & quatuor IIII, quamuis & per illa non abſurde explicaretur.

L, Quinquaginta, & XL, Quadraginta, qua ſi Decem per X, præcedens ab eo adimatur, ſicut LX, Sexaginta, quia ipſi quinquaginta ſuperadditur decē conſequens. L, quidem quinquaginta deſignat, quoniam eſt V, inuerſum. Vt enim rectum V, quinque ſignificat, ita inuerſum; quinquies decem uel decies quinque exprimeret ſic figuratum, Λ, Hoc autem quia Græcis; λάμβδα, eſt, propterea Latinis per ſuum L, aptius notatur, quàm mutuato à Grecis charactère. Sanè inuſitatum nō eſt, ut ex una lingua in aliam ea quibus opus eſt leuiter inflexa transferantur.

C,

C; Centum; quòd ſit eius dictionis prima litera. Et CC; Ducenta, & inde uſque ad CCCC, Quadringenta. Quod & ulterius procedere poſſet. Verum quò uelocius deſignetur, inſtitutum eſt ut per,

D, Quingenta exprimantur, ſicut & per,

M, Mille. Etenim ſi ab ipſo mille dimidium detraxeris, remanent Quingenta, pariter ſi ab ipſa millenarii nota, ſcilicet M, expungas, aut deleas dimidiam partem, ſic, ΔΛ; reſultabit Δ, nempè Græcum δέλτα quod latinè figuratum accipitur, & eſt D. Nam alia pars, ſcilicet, Λ, iam numero quinquagenario eſt diſtributa. Inde itaque eſt ut D, accipiatur pro dimidio ipſius mille. Siquidem & huius uocis, uidelicet Dimidium, D, eſt prima litera, atque ideò Dimidium mille quod eſt Quingenta deſignat. Mille quippè per M, primam eius uocis literam dilucidè planeque deſcribitur.

Nec ab re erit ſi conſideremus D, ad quod reuertor, conſurgere ex C, conuerſo, ſic; Ɔ, & V, eidem præpoſito, ſic, VƆ; quæ dicerent Quinquies centum. Duæ autem hæ literæ coniunctius deſcribi ſic potuiſſent, Ɒ, ſed ut uenuſtè ſimul & celeriter figurentur, tranſuerſa linea remota, per D, ſolum notari eſt conſtitutum. Hactenus.

HAEC autem omnia cum à ceteris qui aderant; tum uerò in primis à te, qui ea lætisſimo cum plauſu acceperas, mirificè probari uidebantur. Igitur ſimulatque ſopore excuſſo ſomnium admirabundus memoria repeterem, mox tamen, quòd fortè ſuum cuique pulchrum, non modica animi uoluptate perfundebar. Ideò ne in ſpongia prorſus reſiderent ac obliuione perirent quæ adeò liberaliter mihi fuerant conceſſa, à ſtrato ad abacum me conferens, eiſdem propè uerbis ac ſerie cuncta ſcriptis reddidi quæ diſſerueram. Inceſsit poſtmodum ardens cognoſcendi deſiderium, quid'nam à doctis uiris ſuper his memoria proditum eſſet; Atqui Valerium Probum hoc in charactêrum genere principem locum tenere intelligens, codicem extemplò nactus, reperi, & iucundisſimè legi, quæ denique in tui gratiam iudicaui ſubiicienda.

VALERII PROBI DE Notis Numerorum.

OMNIS Numerus per figuram unitatis repræſentari deberet, ut Denarius per decem unitates IIIII IIIII; Nouennarius per nouem IIIIIIIII, & ſic de aliis. Verum quia hoc ſcriptori pariter ac lectori faſtidium pareret, inſtitutum eſt ut omnis numerus uſque ad Quinarium, per figuram unitatis ſcribatur, Vnitas per unum I, Binarius numerus per duo II, Ternarius per tria III, Quaternarius per quatuor IIII, quanquam alii etiam ſic, IV, Quinarius autem per quintam uocalem V, à quo numero per adiectionem unitatum deinceps uſque ad Denarium peruenitur.

Denarius per decimam conſonantem X. Et notandum quòd quantum I, addit poſtpoſita ad X, tantum demit ei præpoſita. Quare ſi ſupponas I, ad X, habebis undecim, ut XI, Quod ſi præponas habebis nouem, ut IX, Idque de ſimplici unitate intelligimus, quæ ſemel tantum præponitur. Nam ſi poſtponatur, quater repeti poteſt. Quod autem de I, diximus; idem de X, & aliis notis cũ eas præponi aut poſtponi contigerit, intelligatur.

L; Notat Quinquaginta ad imitationem Græcorum, qui per, ν, id eſt N, hunc numerum ſcribunt. L, autem & N, inuicem ſibi cedunt, ut Lympha, Nympha. Huic ſi præponas X, habebis quadraginta, ſi poſtponas habebis ſexaginta.

C, Centum ſignificat, quia prima litera eius numeri eſt.

D, Quingenta, quia (ut nonnullis placuit) poſt C, D, ſubſequatur: uel (ut aliis) quia inter hanc & M, quod Mille ſignificat quinque literæ intercedant, quæ dimidium millenarii numeri innuant. Vel (quod magis placet) quia ſit capitalis litera huius nominis Dimidium, quod dimidium millenarii ſignificat. Vel potius quia antiqui hunc numerum per ſiniſtram partem; M, notarent, ſic, Ⅳ. quæ nota penè D, ſimilis eſt.

M, Mille quia principalis eſt huius nominis litera.

HACTENVS EX VAlerio Probo.

QVIBVS perlectis ; & rurſum aliis haud infimæ claſsis authoribus accurate inſpectis, Ego tamen non ad pertinaciter reſiſtendum, ſed ingenuè depromendum quæ condideram, hæc tanquam pro corollario ſubnectenda putaui. Ea uerò fuerint, Deſcriptionis nimirum noſtræ rationes, quòd minime uagantur per remota & deuia, immò ex unico eodemque ſolido fundamento exurgunt, uſque adeò ut inter ſe arctiſsime cohæreant; Propterea neque minus ueras, quàm eas, quæ à ueteribus prolatæ eſſent; & iis ipſis ueteribus ſi ueniſſent in mentem, futurum ut eas nõ improbarent mihi perſuadebam. Et enim nos ſicut lineam unitatis notam I, numerorum principium aſſerimus; duas uerò inflexas, \ /, ac coniunctas, V, quintam uocalem deſcribere; ita quintam ipſam uocalem V, non modo quinarium primum notare, atque adeò uniuerſorum quinariorum fontem ac radicem eſſe, ſed & ipſum quinarium ubique poſitum exprimere comprobamus. Nanque illud ſignum bis acceptum ſcilicet VV, redderet Decem. Quod ſi per idipſum ſimul connexum deſignaueris, ſic, W, & poſtmodum amputaueris extrema eius latera, ſic, \ /, ſupereſt X, in quo nihilominus conſpicis duplex V, unũ rectum,

inuerſum alterum, ΛV, uel utrunque è di-
uerſo iacens, >C, quæ ad maiorem tum
facilitatem tum uerò decorem ſimul in angu-
lis iuncta, ſic, X, uel ſic, ⊃C, denarium
numerũ, quo modo uel teſſeris uulgo per in-
ciſuras notant, optimè deſcribunt. Atque ſic
in duplici primo quinario, ipſa quinta uocalis
cunctorum quinariorum origo dilucidè bis col
locatur, quò primam numerorum perfectio-
nem in denario abſolutam, ut perfecto ita fa-
cili & pulchro quodam ſuo nexu figuret.

Secundus inſuper quinarius, qui denariorum eſt,
ſcribitur per eandem quintam uocalem, ſed
inuerſam, ſic, Λ, quæ quia latina litera non
eſt, ſed, λάμβδα Græcum, ideò per noſtrum
L, latinis conuenientius notatur. Nam & qui
flexu digitorum numerant, pollice ad mini-
mum inclinato tale quid in ſiniſtra figurare
ſatagunt.

Tertius quinarius Centenarii ſcilicet numeri, etiã
per eandem uocalem deſignatur, ſed ſimiliter
uerſam, cui, ad ſuperioris quinarii diſcrimen,
huius uerò altiorem uim exprimendam ſubno-
tetur linea, ſic, $\underline{\Lambda}$, & ſignaret quinquies cen
tum, quemadmodum ſi ſupraponatur linea ad
eandem rectam, ſic, $\overline{V}$, notabis quinquies
mille, qui quartus quinarius eſt, nempè mille-
narii. Ea autem linea inferius poſita, atque
non

non ab re propius iuncta, conſtituit Δ, noſtris literis alienum, Græcis uerò, δέλτα, iccirco melius latine redditur, & facit D.

Ceterum, ipſum geminum, uidelicet DD, Mille poterat exprimere, nõ ſecus ac ſi, ΔΔ, geminetur. Congruè autem magis duæ quinarii radices inuerſæ, hoc eſt, ΛΛ,. Eæ quippe cõmodius annectuntur ſic, M, quandoquidem ſignificationem complexu nõ parum augeant; atque latinam conſtituant literam quæ data eſt ipſius numeri millenarii caput.

Nec ſanè me fugit aliis quoque formis apud priſcos Mille deſcribi conſueuiſſe, Nanque per duo C, quæ centena dicerent, quorum unũ conuerſum ueluti apoſtrophos reſpiciat alterum, & X, intercipiant quo Decem ſignetur, ſic, CXƆ, quaſi decies centum. Vbi ſi literæ cohæreant cõſurgit figura talis, ∞, quæ mille antiquis notabat, ut apud Probum perſpicuè conſtat.

Non deſunt præterea poſteriores, qui millenarii numeri figuram repræſentent per duo II; & X, medium, ſic, IXI, uel ex iiſdem coniunctis, ſic, ⋈, aut etiam ſic X̄, à quibus dimidia parte ſublata deſcribunt Δ, Græcum δέλτα, quod in latinum D, mutantes, quingenta exprimere ſtatuerunt.

Similiter & qui mille per duo CC, ambientia in

terpoſitum I, ſic, CIↃ. Vbi ſi cum ipſo I, uniatur pars dextera, id eſt C, conſtituet D, quod ueteres interdum ſecabant medium ſic, Ð, & quingenta dicebat. Si uerò ſiniſtra quoque pars, uidelicet C, eiſdem adhæſerit, ſic, ↀ, mille ſignificabit. Hæc aiunt, & ingenioſè quidem. Veruntamen ſi tenenda eſt antiquitas, horum charactêrum teſtimonia ex patrum monumentis deſiderantur.

Illud porrò mihi haud prætereundum uidetur, quoniam ſi figura hæc, ↀ, pro mille aliquãdo recepta fuerit; quòd forte, φ', Græcũ prorſus imitaretur, ob id, uel apertis utrinq; lateribus, uel linea nõ inaniter ſuppoſita, utpotè quæ numerum etiã reddat intenſiorem, deſcribi ſic, ɱ, uel ſic Ɱ, atq; demum pro antiquo M, uſurpari contigiſſe. Verùm hoc nõ niſi poſt occupatam à Longobardis Italiam, quando Latini tum ſermonis, tum ſcripturæ iactura facta eſt ingens. In exciſis enim ab eo tempore lapidibus id paſsim cernere licet, ac non minus in libris qui Longobardorum charactêre ſunt conſcripti. Nos utique ad hæc uſque tempora conſuetudini tributum uidemus, ut præſcribatur, ɱ, aut, Ɱ, loco Latini M, præſertim uerò in ſacris codicibus. His igitur notis tam uariè figuratis, ipſum mille indicari potuit apud diuerſos authores; con-

ſuetudo

ſuetudo tamen communis ſenſus obtinuit, ne M, ueteri ſuo iure fraudaretur, ut Mille per M, primam eius numeri literam Græcis pariter ac Latinis familiarem paſſim notaretur, ut ſupra etiam in ſomnis diſſerebamus.

REPETENDVM eſt autē quia quinta hæc uocalis litera V, duabus lineis numeralibus cōſtat, flexis quippe atque in extremo puncto concurrentibus, quæ acutum angulum qui quamlibet in partem uerti queat, figurant. Hæ uerò in ſui contuberniū tertiam, aut interdū quartam, uel (quò aliquando quaſque ab uno ad quinque in unum colligat) etiam quintam lineam admittunt; ut puta, Δ, M, $\bar{V}$, $\bar{\Delta}$, $\bar{M}$, Atque ita, nunc per notam unam, nunc per plures deinceps ordinatas, numerorum præcipuos deſcribere ualent. Quamobrem perſpicuum fuerit quo pacto ipſa, ⌒V, primum quinarium non modo deſcribat, uerum etiam uniuerſam quinariorum claſſem, ut potē ex eius fontibus emanantem & decurrentem, ſuis quoque marginibus haud obſcura quadam arte complectatur. Hæc autem ut pateant, in promptuque ſint omnibus, hoc Epilogo breuibus recenſere conabor.

V, Quinque ſignificat, primum quinarium ceterorumque radicem.

V Λ; uel ⊃⊂, quod melius X, uel ⊃⊂, Decem, id eſt quinarios duos.

X V, Quindecim, Tres quinarios.

X X, Viginti, quinarios quatuor. Et ſic procedendo ad quadraginta, X X X X.

Λ, Græcum, λάμβδα, per noſtrum L, melius, Quinquaginta deſcribit, quinquies decem, aut decies quinque.

Δ, δέλτα, Nobis D, Quingenta, quinquies centum.

Λ Λ, Meritò iuncta M, Mille, quòd quingenta bis contineat.

V̄, Quinque millia.

Λ̄, Melius per noſtrũ L̄, Quinquaginta millia.

Δ̄, Rectius per Latinum D̄, Quingenta millia.

M̄, Mille millia, quamuis & aliquando mille.

AD hæc forſitan quum exquiſitiſſimus ille numerorum indagator Pythagoras ſeſe animo & cogitatione conuertiſſet, ex ipſa V, & unitatis nota I, literam Υ, de ſuo nomine dictam, & cũ à Latinis, tum, ut opinor, à Græcis quoque ueteribus eodem, quo latinum V, ſono expreſſam, conformauit, quæ & bonis moribus inſtitueret adoleſcentiam, & quæſcunque humanæ uitæ numeros planè tanquã collecta ſummula repræſentaret. Verum hæc fortiorum (ut Ariſtoteles loquitur) ac tuo in primis iudicio diſcutienda. Tu enim quemadmodum in quolibet ſcientiarum genere, rerumq́ue ſublimium uſu es diutiſſimè uerſatus, atque earum cognitione quàm cumulatiſſimè excultus, ita horum etiam, qualiacunque ſint, cenſor æquiſſimus (quod tuæ humanitatis fuerit) eſſe non grauaberis. Mentis quidem meæ non erit, Senator integerrime, ulla ex parte infirmiora reddere aut ſuſpecta quæ à Valerio, atque ab aliis authoribus afferuntur, ſed ſolummodo uiſa noſtra, ſi fortè non penitus abiicienda, narrare; Tametſi authores ipſi quaſi manu tentantes cauſſas perquirere, eaſq́ue eminus petitas diuinare magis uideri poſſint; proximas autem ac germanas colligere minus poſſint. Tibi tamen

libeat cum illis noſtra conferre, non tanquam cœlitus delegante numine, uel è tripode, ſed uelut è porta cornea (ut Poetæ dicunt) potius quàm eburnea per quietem inſpecta, atq; adeò te exigente prolata. Ea igitur quæ tua ſunt, tua qua cetera ſoles benignitate ſuſcipias (quæſo) & foueas, uel etiam quòd tui iudicii arbitriique fuerit,

Si minus illa probes, ut ſunt, ita
ſomnia ducas.

Equidem ſi ea tibi non iniucunda cognouero, ſpem haud mediocrem concipio, fore, ut alij etiam ea æqui ac boni conſulant. Felix Vale

Vir optime atque eruditisſime.

Ex Muſæo noſtro D D. Ioannis & Pauli, Venetijs XI KL. Nouemb. M D L V I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F. Deſyderius Lignamineus Patauinus
De Somnio F. SIXTI Medices
Veneti Viri Doctisſimi.

Quæ ſtudio inueniunt alii, Dum forte quieſcit
Per Somnum SIXTVS digerit in numeros.
Et uigilans eadem facundo diſſerit ore,
Diuinum numen nullus adeſſe neget.
Si uiuas rerum ſcrutator maxime Plini,
Et SIXTI Medices Somnia docta legas:
Iam ſegne ingenium fieri, uitamque perire
Dimidiam Somno, dicere pœniteat.